


1155.





Rah 1155.



CARMEN


In commendationem

CHRISTIANÆ PIE-
TATIS, AD GENEROSVM
& magnificum Dominum, Dn. AN-
DREAM MAGOCHIVM,


Scriptum à

GEORGIO R. CAPOSIO, alumno,
*beneficiorum memoriam pia mente
recolente.*

Anno reparatæ salutis 1584.
4 Septembris,



VITEBERGAE
Ex typographia Simonis Gronenbergii.



CARMEN


In commendationem

CHRISTIANÆ PIE-
TATIS, AD GENEROSVM
& magnificum Dominum, Dn. AN-
DREAM MAGOCHIVM,

Scriptum à

GEORGIO R. CAPOSIO, alumno,
*beneficiorum memoriam pia mente
recolente.*

Anno reparatæ salutis 1584.
4 Septembris,



VITEBERGÆ
Ex typographia Simonis Gronenbergii.

PIETAS AD OMNIA UTILIS EST.

promissionem habens vitæ præsentis ac futuræ.

Virtutum basis est pietas & mater: In ipsa
Nempe latent aliæ: spes, amor, atque fides,
Iustitia, integritas, probitas, patientia, candor,
Ac hominis pulchrum, vita probata, decus.

Hæc ad præsentis ducens vitæque futuræ
Præmia, directam monstrat ad astra viam.
Denique plura capit pietas quàm carmen: In ipsa
Virtutum siquidem tota caterva manet.
Ergo pñ merito magno cumulantur honore:
Suspicit & flexo poplite Musa pios.

Hæc duce Thariades, Iacob, & Iessæa propago,
Elysi campi regna beata tenent.
Hoc etiam mundo florent pietatis amantes,
Ipsa solet vitam claudere sine bono.

Impietas contrâ causa est & origo malorum:
Fine malo vitam terminat impietas.

Impietatis Achab cum conjuge, sicque Cifides
Pœnam cum tota posteritate luit.

A terra absorpti sunt Chore, Darhan, Abyron:
Cæditur angelica turba profana manu,
Impia cum faciens petulanti murmura lingua.

Adversus Mosen garrulitate fremit,
Plectitur impietas de cælo Atacis Oilei:
Punit cruda scelus cœna Thyeste iuum.

Multatur miseræ tauri fabricator aheni,
Et Phalaris vulgi vindicis igne perit.
Aequore rex Pharius, Zoroastres igne superno,
Fulmine centimanus sternitur Enceladus.

Atrea quid memorem, Cambysem, Porphyrionem,
Tiranas, Antiochum, quidue Typhœa trucem?
Quos cum nulla mover reverentia numinis, omnes
Intereunt fœdè, tartarique atra petunt.


Scilicet ut pietas cunctorum est causa bonorum:
Omnis ita est fons & causa mali impietas.

Ergo pio quisquis pietatem carmine laudat,
Est pius, at magè, eam qui colit, hic pius est.



Michael Debreçinus.

Christiana Pietas.



*V*per ut exoriens aurora remove-
rat umbras
Humentes, Phœbusque jubar dis-
fuderat orbe
Ignivomum, ipse nemus gratum
frondentibus umbris
Ingressus, liquidas tacitus spacia-
bar ad undas

Albi tuas, resonant volucres ubi carmine dulci.

*Atque ibi tum placidoolvebam pectore mecum,
Quanta Dei bonitas, quàm maximus ardor amoris
Divini, quàm summa pios, ab origine mundi
Omnia si repetam, maneant, quàm summa beârint
Premia Christicolas, quibus unica cura salutis,
Et pietatis erat veræ: quos devius error
Abripuit nunquam falsa sub imagine veri
Divini cultus, meritos sed semper honores
Reddidit altitono, vanis procul inde remotis
Numinibus, quales fertur celebrasse profana
Turba, suæ Cereri spicas dum ritè quotannis
Obtulit, & nardos molles baccasque Minerva.
Floræ veris opes, & dulcia musta Lyæo*

Libavit, stygit peperit quos fæda Draconis
Proluvies cultus. Pietas sed cœlitus alma
Descendens, hominum mentes revocavit inertes
Ritibus à vanis, divinum & reddere honorem
Instruxit mortale genus. Quare omine fausto
Huc ades ipse precor claris majoribus orbe,
O decus, ò nostri studii spes magna patrone,
MAGOCII generis lux inclyta, rebus asylum
Musarum, & terra decus immortale paterna,
Digne favore Dei, felix pietatis amore,
Et celebres inter meritò numerande Patronos
Pannonia quos aluit tellus, quos provida virtus
Vexit in eximium decus, & quos divus Apollo
Carminibus super astra tulit, doctæque sorores
Thesbiades sacris celebrârunt ritè Camenis:
Annue, nec mecum pigeat cognoscere, diva
Quid valeat Pietas, Christi quæ munera sumat
Sedibus in cœli & terris pelagòque profundo.

Paulus athleta Dei, doctorque sacerrimus orbis,
Scimus, ait, nostra quàm fluxa domuncula vite
Fluctuet: & rerum species speculamur abundè
Quàm citò decurrant, tereti ceu cardine moto
Æolus emittit ventos per inane volantes,
Quos poterit cursu nullus cohibere citato.

Sic quoque vita hominis fuit, ~~Quæ~~
Nulla potest longum. Volet at qui vivere vitam
Felicem, dum corporeo stat carcere septus
Spiritus, à densa viciorum labe remotus,
Nititur ad superas dextro conscendere cursus
Arces, quas retegunt vatum monumenta piorum,
Sacra nec ille Deo, gratam testantia mentem,
Vota negat, quoties radiantia lumina Phœbus
Advehit, aut quoties Titan sua lumina condit
Fluctibus Hesperis, quoties quoque Cynthius orbem
Pervolat: ille Deo dulces meditabitur hymnos
Pectore, non sequitur vanos præstantia cultus
Agmina, nec verum gaudet contemnere Numen.
Sed pia thura precum, cordis crepitante favilla,
Nocte dieque cremat Domino, legesque verendas
Suspicit illius, sancto & veneratur amore.
Spurca nec admittit, templum maculantia Christi,
Crimina, nec miseris se subtrahit, auxilium nec
Poscenti negat: ille manus sub tempore duro
Omnibus extendit, studium pietatis amantes
Ille fovet, volvitque animo divina: nec unquam
Abnuat atherei præcepta capessere regis,
Sacra sed in terris potius consortia cæli
Vivere consuetus, sese noctesque diesque

Illius ad nutus sancti os componit, auerque
Non sua diversos mentiri lingua colores
Dirini cultus, potius sermone disertio
Rite Deum celebrat summum, nutusque verendos
Suspicit, & sanctum nomen fidente vocabit
Pectore: nil metuet, casu haud terretur & ullo
Precipiti, sua fida Deus tutela, fruatur
Letitia ingenti: PIETAS hoc diua meretur
Virtutum genitrix, sine qua caelestia Tempe
Queruntur frustra, frustra contenditur ipsam,
Sedibus his unquam felicem vivere vitam.

Hæc virtus est grata Deo, cœlumque profundum
Conciliat terris, factorum & conscia rebus
Sidera terrenis docet inservire benignè.

Hæc facit, ut Dominus, quoties sua fulmina torquet
Vindicibus palmis, justam commotus in iram,
Ob scelus indignum, sæva conversus ab ira,
In mentem redeat placidam, vultumque benignum,
Præbeat, & tristes casus, dirumque timendi
Sideris ostentum nostra à cervice repellat.
Et manibus placidis grassantis conscia fati
Fulmina disjiciat, culpaque doloribus agros
Servet ab instanti casu, largoque favore
Amplexus foveat, duri causaque doloris

Auferat,

Auferat, & trepidos artus, animique rigore
A tonitos animet, Christum & sperare benignum,
Spe jubeat certa, & vero decurrere plausu
Secula dignetur, verbi nec neētare sacro
Destituat mortale genus, sed gaudia largē
Æterna tribuat vitæ, ditetque benignē
Muneribus placidis, nec duris cursibus annos
Ire sinat, placida ut campus flavescat arista.
Dives & autumnū fundat vindemia dulces
Pampinea vitis succos, & gramina valles
Herbosas decorent, diffusaque in arbore poma
Spectentur, caricasque ferat leto ubere ficus.

Hæc dilecta Jovæ summis in honoribus omnes
Detinuit virtus homines, cœlique beavit
Parte, nec, ut perhibent vatū monumenta piorum,
Destituit vitæ felicitate justos.

Hæc Abel acceptus fuerat juvenilibus annis
Offerret Domino pingues dum ritè bidentes,
Munera grata Deo, pingues faciētia flammæ.

Hæc caruit virtute Cain, largique favoris
Munere divini cassus, lachrymabile fatum
Sustinuit semper, tristem & descendit in orcum.

Cur sic? Impietas meruit. Caret impius agri
Fertilitate sui, nec spem fructumque laboris,

Terra,

Terra licet sit culta nimis, subvertere tardat.
Non steriles herbis campos, non frugibus agros
Corriget impietas, thuris nec mittit odores
Ante Jovam gratos. Igitur cur corde maligno
Turgide adhuc cessas, cur non tua pectore puro
Thura cremas, Domino gratas facientia flammis?
Cur tua vesanis uruntur pectora flammis?
Cur livoris alis flammis, cur duceres astu
Flammigero? cohibere dolos, animiisque furentem
Scilicet hoc opus, hic labor est, ideoque nocendi
Virus alis venis, & caco duceres igni
Invidia, vulnus fibris crepitantibus atrum,
Ut tua perrigido squalescant viscera tabo.

Livide quid turges, fratris cur cade cruenta
Commaculare manus pergis? proh pectus iniquum,
Non potes altitonum, quamvis tua crimina celes,
Fallere. Namque dies commissæ conscia culpa,
Deteget infandum scelus, & formidine terror
Opprimet, & timidum faciet sine fine: Deusque
Vindicibus palmis reprobos, terraque marique
Persequitur, poenisque premit, sed justa sequentes
Proteget, ereptosque malis, post fata quiete
Perpetua ornabit, cœlesti & lumine cinget.
Quid valuit pietas Noaci? quo justior alter

Nec

Nec gravior probitate fuit, dum squalida esset
Difflueret vicus facies, & spreta per orbem
Lugeret Pietas: stygio at prognata parente
Proluvies scelerum late diffusa per urbes
Jura daret populis, Erebo & parere parenti
Instrueret, scelerum unde genus manarat in orbem
Omne: mali sceleratus amor, fraudesque dolique
Fœdaque spurcicies, secunda Licentia, & ipsa
Garrulitas petulans, sufflata Superbia, nec non
Fauce tumens Lucrum, turpi comitata sorore
Vsuræ, & macerans aliena ob commoda sese
Invidia, atque Odium, scelerata Calumnia, & ipsa
Semper in fontes acuens Injuria dentes,
Et stimulo feriens fœda Obrectatio acuto,
Criminis infontesque petens Infamia morsu.
Quæ pater omnipotens quondam cataclysmate largo
Merferat, at Noacum diva pietate valentem
Interitu horrendo salvum servavit, & illi
Secula bina dedit felici vivere cursu.

Cur referam Abrahami pietas an grata Tonanti
Extiterit? cui se veniens è sede superna
Præbuerat quondam manifesta luce videndum
Os, habitumque gerens hominis, Christumque futurum
Promisit, stygium Ditem qui vincat, & omne

*phiegetontis & atro
Carcere detentos revehat, cœlique ruinam
Sirenius instaret, cujus benedicta favore
Gens omnis fieret, cœlesti & viveret arce.*

*Nonne senex venerande fuit tua Lote potenti
Grata Deo pietas? nimium dum perdit a Sedom
Diffuseret vicis scedis, nec jusque piūque
Curaret, summique Dei reverentia nulla
Criminibus seruire malis prohiberet manes
Fœdorum scelerum cuneos, quos fulminis author
Protinus ut vidit justam commotus in iram
Vindicibus palmis toto contorsit olympo
Fulmina dira, quibus flammam cum grandine miscens
Intonuit, quinasque urbes subvertit ab imo.*

*Quid tibi tunc pietas valuit tua Lote? benignè
Scilicet ereptus tanta de mole malorum,
Suspicias æthereum Numen, celebrasque Tonantē
Carminibus, qui te flagranti à clade revulsit.*

*Hac Isaac pietate Deo, qui presidet astris,
Gratus eras, semēnque tuum, ceu sydera cœli,
Auxerat hęc propter Dominus, vitæque bearat
Felici, atque tuos campos flavescere aristas
Fecerat, & valles latas viridantibus herbis
Ornarat, sulvōque tibi compleverat auro*

Scrinia, nec pecudum latè tondentia campos
Agmina defuerant, vita quibus indiget usus.

Te quoque sic Jacobe Deo sanctissime gratum
Reddiderat pietas, manibus fratrisque furentis
Ereptum, placidè patriis considerare tectis
Fecerat, & gratum vita contingere finem.

Quid memorem tua quàm pietas castissime Joseph
Grata Deo fuerat? nimium florentibus annis
Cum mala passus eras adversi turbine fati
Multa tuum feriente caput, sed candida virtus
Mole tibi in tanta subito sua brachia tendens
Sustulit, & cello tantam perferre malorum
Pectore congeriem docuit. Nam diva resistit
Ærumnis Pietas, tandemque invicta triumphis
Gnara bonis ornare suos, & pace beare.

Sic tibi non nimium potuit tunc fœda nocere
Fœmina, nec castum pectus vesania longum
Per tempus vexare tuum, nec dira revinctum
Vincula te captum tenuerunt, protinùs ipsa
Sed pietas festiva tuo sub pectore gaudens
Adversas superare vices fluctis que malorum,
Jusserat, Ægyptiumque tibi parere superbam.

Nonne tua & DAVID pietas pergrata Tonanti
Extiterat? qui te cautis ad regia duxit

Munia, sed Saulem potuit non ferre nefandum.

*Nonne etiam Salomon templi constructor, amore
Dignus eras Domini? vel te quoque nonne celebrem
Effecit Jostia pietas? omnesque fideles
Temporibus cunctis, pulchris hac nonne beavit
Muneribus? Quid non tribuat sanctissima cunctis
Hac pietas, quicumque Dei fidiſſima servant
Verba, nec ad stygios cultus, Erebiſque profanum
Dogma pedem referunt: Casto at pia carmina cantant
Pectore, mansuras & opes, pia pignora amoris
Divini, tribuunt miseris, ceu Dorcadis ipsa
Dextera larga inopum pavit jeuna palata,
Vestibus & texit nudorum corpora, nec non
Affectus pietatis habens noctesque diesque
Carminibus celebrare Deum, precibusque vacare
Rite piis perdocta fuit, cum stamina Parca
Dum manibus rapuere feris, pheretroque reposta
Membra rogo tradenda, Petri de morte reducta
In vitam fuerat precibus, lachrymisque suorum.*

*Ast hoc quid meruit? Pietas & sancta Thabitæ
Virtus, & generosa fides. Hac pectora quoque
Grata Deo semper fuerant, quibus ipsa Tonantis
Dextera larga dedit cœlestia tecta tenere.*

Ast ego cur refero veteres? quos carmina vatum

Iam.

Jam pridem retulere pium, doctisque Camanis
Aonides cecinere suis, seclisque futuris
Virtute insignes commendatòre, fideque
Heroas celebres, quibus unica cura salutis,
Et pietatis erat, patria, quoque summa tenebat
Cura sua, quales fuerant melioribus annis
Induperatores re dicti & nomine Magni.
Quos inter celebris, magnum Constantia nomen
Cui dederat, fertur, casto qui pectore Christo
Reddere divinos cultus per regna, per urbes,
Jusserat, atque sui, magno pietatis amore,
Fimibus imperii cunctos phlegentis amantes
Depulit, & turpes ritus & vana priorum,
Sacra reformavit, passimque capessere Christi
Verba suos jussit populos, quem deinde secutus
CAROLUS insignis pietate, hunc teutona tellus
Nomine Casareo celebrat, qui templa scholasque
Eximia fovit virtute, animoque virili.

Sic quoque permulti diversa in parte manentes
Magnanimi heroes orbis, quibus una salutis
Cura fuit semper, cunctos comprehendere versu
Non opus, at liceat tantum mihi dicere verbo,
Quòd semper generosa suos in honoribus amplis
Detinuit virtus, rebusque beavit opimis.

Generose Patrone,
Est patruus celebris, laudemque decusque paravit
Immortale sibi, quem mox ad sydera pennis
Assurgens placido vultu Prudentia clarum
Reddidit, & Martis celebrem virtutibus: inde
Est patriæ pater ipse suæ, cùm sæpe salutem
Attulit, ille sua Gyulam virtute sagaci
Servavit, Thracæque feros disjecit, & ejus
Agræ virtutem sensit, cui fortibus ausis
Sapius optato repararat gaudia plausu.
Sensit opem Christo cætus quoque ritè dicatus
Ipsius, atque piis studiis addicta juventus.

Huc etiam, multos, largo pietatis amore,
Adductus, Juvenes studiis ut ritè vacarent,
Sumtibus ornatos misit, quem docta sororum
Turba novena colit, lato dum sydera cælo
Fulgescent, nomènque ejus sacra carmina vatum
Laudibus ingenius celebrant, seclisque futuris
Commendant pia facta virum: Christus que benignis
Ante suum patrem verbis laudabit, & amplo
Munere cælestis vita cumulabit abundè.

Quod superest igitur, te nunc, Generose Patrone,
Te rogo, cùm multum nota est tua vivida virtus,
Affer opem studiis nostris, afferque salutem,

Quam

Quam nisi tu dederis inæsto mihi carminis usus
Nullus erit, studiisque bonis valedicere coget
Pauperies perdura, sacris inimica Camænis.

Et precor, ut Patruî nunc te, Generose Patrone,
Ducat in exemplum virtus invicta, tuum quò
Laudibus eximiis celebret pia Musa favorem.
Et mea, dum cœlum stellis, dum campus arvis,
Et fluviiis pisces gaudebunt, Musa Camænis
Teque canet, nomènque tuum super astra levabit
Carminibus gratis: Dominum, qui præsidet astris,
Orabo pro te & Patruo, quò vivere salvi
Nestoreos annos, Patriæ duo lumina nostra,
Possitis, sacros cœtus, Musasque fovere.

